

IOANNES BOHEMUS  
DE OMNIUM GENTIUM MORIBUS

LIB. III CAP. XII--XVII

Kgl. Luiseu-Gymnasium.



JOHANNES BOHEMUS

DE OPTICA ET OPTICIS MORIBUS

LIBER PRIMUS



## De Germania et institutis eorum plurimis.

Germania regio Europae amplissima, tota septentrionalis,  
 a Gallis olim Rheno fluvio divisa fuit, a Raetis et Pannonibus  
 Danubio, a Sarmatis Dacisque mutuo metu et montibus separata  
 cetera oceano ambiente; hodie extra hos fines Raetiam, Vinde-  
 5 liciam, Noricam et superiorem Pannoniam, Alpes partemque  
 Illyriae et usque ad Tridentina claustra Germania obtinet.  
 Belgarum quoque fere tota natio, Gallici quondam iuris, omnisque  
 Rhenus in Germaniae nomen linguamque concessit, ut iam se  
 Gallos dici nesciant, si audiant, indignentur. Helvetii quoque  
 10 in Germaniae nomen et linguam tempore labente transiere.  
 Itaque magnam Galliae Transalpinae partem ipsa Germania  
 sibi vindicavit. Prutenos ferocissimam gentem et idolis dedi-  
 tam intra tricentesimum annum ex infidelium manibus milites  
 Teutonici vi et armis rapuerunt, ubi et lingua Teutonica in-  
 15 troducta est et Christi cultus genti imperatus. Unde habita  
 ad primaevos illius terminos consideratione videbitur certe illa  
 sibi fere plus soli extra usurpasse quam intus prius continebat.

In duas velut partes ab initio tota Germania divisa fuit,  
 ut, quae Alpibus propinquior est, superior sit Germania appellata,  
 20 altera ad septentrionem atque oceanum versa inferior. Durat  
 haec partitio sub Alemanniae appellatione (quae a Lemanno, ut  
 quidam autumant, lacu est) in hunc usque diem. Provincias  
 tam haec quam illa multas habent. Superior a Mogano flumine,  
 quod Franconiam perlabitur, ascendendo Bavariam habet,  
 25 Austriam, Stiriam, Athesim, Raetiam, Helvetiam, Sueviam,  
 Alsatiam, provinciam Rhenensem Moguntiacum adusque. In

ferior Franconiam, cuius magna pars meridiem versus etiam in superiorem protenditur, habet, Hassiam, Lotharingiam, Brabantiam, Gelriam, Selandiam, Holandiam, Frisiam, Flandriam, Westfaliam, Saxoniam, Daciam paeninsulam, Pomeraniam, Livoniam, Prussiam, Slesiam, Moraviam, Bohemiam, Misnam, 5 Marchiam, Thuringiam.

Fuit Germaniae terra ab initio, ut Cornelius Tacitus scribit, etsi aliquando specie differebat, in universum aut silvis horrida aut paludibus foeda, humidior qua Gallias, ventosior qua Noricum ac Pannoniam aspicit; frugiferarum arborum 10 et omnis culturae impatiens sterilis, pecorum tamen fecunda, sed plerumque improcerorum; auro atque argento immunis et propterea vilis despectaque ab omnibus. Hodie regio adeo amoena est, adeo pulcherrimis nitidissimisque urbibus, castris et pagis passim exornata, exulta, ut non Italiae, non Galliae, non 15 Hispaniae ipsa cedat. Caelum satis clemens habet, campi fertilitatem optandam. Sunt colles aprici, nemora opaca, frumentorum abundantia, vitiferi montes, clarissimi amnes, Rhenus, Danubius, Moganus, Albis, Neccharus, Sala, Odera et multi alii fluvii et rivi limpidiissimi totam terram rigantes. Sunt fontes dulcis 20 aquae, sunt thermae calidae, sunt minerae salis plurimae; metallorum item fertilitate nullis terris cedit. Universa et Italia, Gallia, Hispania argentum ex Germaniae negotiatoribus fere omne habent; metallaque non parum multa, nec auro est privata. Quodsi hodie priscorum quisquam ab inferis resurgeret ac oculis 25 intima regionis contempleretur, numquid non multum is miraretur? Aut quid diceret tamen, si videret, quanta nunc esset locorum salubritas, caeli humana temperies, ubertas soli, vini frumentique quanta copia, arborum consitiones, quis splendor urbium, templorum sacra et erga deum religio, urbanitas civium, vestitus 30 hominum, rei militaris peritia, apparatus bellicus ceteraque ornamenta Germanorum nobilitasque quam sincera? Profecto, ut reor, non diceret terram informem, asperam caelo, tristem cultu; videret sane, quam verum sit illud, quod dicitur 'saepius bonam materiam cessare sine artifice'. Nam etsi aliis regionibus 35 mitior hiems sit fructusque nobiliores, minus tamen aestus



temperatus est, unde et frugum corruptio; adde animalia venenosa et alia ad humani generis perniciem intentissima. Difficilis satis erit iudicatu, quae cuique provincia comparanda sit, quae anteferenda.

5 Dicta autem est Germania recentiori appellatione, quod eius populi fere omnes inter se perinde ac fratres pares existerent tum corporum dispositione tum moribus atque vivendi ritibus. Prius Teutonia a Tuiscone, Noe filio, et Alemannia a Manno, eius filio, qui gentis auctores conditoresque memorantur, vocitata  
10 fuit. Quamvis plerique gentem indigenam, id est, inde genitam nec alicunde provectam arbitrentur. Cuius opinionis et hic est, qui ita versificatus est:

Gens invicta manet toto notissima mundo,  
Terra ubi se devexa globo demittit in arcton,  
15 Solis et algoris patiens durique laboris,  
Ingrata ignavam vitae tolerare quietem,  
Indigena, haud alia ducens primordia gente,  
Sed caelo producta suo Demogorgonis alvus  
Protulerat, patulas ubi cuncta creata sub auras.  
20 Germanos vocitant Itali, Grai sed Adelphos,  
Quod fratrum soleant inter se vivere more;  
Nomen nobilibus quod adhuc venerabile nostris  
Pectoribus, similes ingentis corporis artus  
Prodiga cui natura dedit, per lactea colla  
25 Candida proceris tollentes corpora membris.  
Flava coma est flaventque oculi flavoque colore;  
Temperie iustam retinent sua membra staturam,  
Vox habitum mentis cum gestu et pectora prodit,  
Vox quae nil muliebri sonat, sed tota virilis  
30 Martia crassiloquo testatur corda palato.  
Commune his studium venari, equitare, vagari  
Atque suum varias victum quaesisse per artes:  
Vel Bacchum viduis crescentem iungere palis  
Arvaque quadriiugo proscindere pingua aratro,  
35 Nec patrio tepuisse solo iuvenilibus annis,  
Sed mox doctiloque praecepta adiiisse Minervae

Vel vaga veliferas duxisse per aequora naves  
Atque suis terris varias adducere merces,  
Nec censere nefas animum intendisse rapinis,  
Dum fera belligeri meditantur proelia Martis  
Atque illum regum celsas quaesisse per aulas, 5  
Quattuor ad fines, quas Teutonius ora coerces,  
Sive per Hercyniae nemorosa cacumina silvae  
Dentatos prosternere apros silvisque vagantes  
Aeripedes cervos ursosque agitare feroces.  
Unguibus accipitres trucibusque iubere rapinas 10  
Tollere et evulsas dispergere in aethera plumas.  
Hinc animus dubiis audens se credere rebus  
Nec segnis timidusque mori roseumque cruorem  
Pro patria et caris certans effundere amicus  
Atque avidus caedis, si qua ulla iniuria laesit, 15  
Quique fidem sancto et constanti pectore servet  
Religionis amans superumque et cultor honesti  
Et veri iustique tenax mens consona labris,  
Ficta coloratae fugiens mendacia linguae.

Proelium inituri Germani sacrum hymnum Herculi canebant, 20  
quem volebant aliquando in eam terram venisse, gravi et terribili  
sonitu, non dissono, ceterum ad terrorem quaesito pugnam  
capescebant. Truces oculi pluribus ac caerulei, rutilae comae,  
procera corpora, ad primos impetus subita et praeceps natura.  
Ceterum laborum operumque impatiens. Sitim et aestum 25  
ut Galli non ferunt; frigorum patientissimi. Auri et argenti  
his olim usus nullus. Argentea vasa eorum legatis data aut  
principibus muneri missa non minori contemptu quam fictilia  
tractabant. Commerciorum usu aurum et argentum ab his primo  
receptum. Credita et a quibusdam tellus ipsa talium metallorum 30  
expers, quin et ferri inops; quo accidit, ut olim rari uterentur  
gladiis in proelio, sed longiori hasta, quam ipsi frameam vocant,  
et in ea brevi ferro, habili telo, sive comminus sive eminus dimi-  
carent. Eques scuto et hasta instruebatur. Pedites missilia  
spargebant, plura singuli. Nudi in pugnam, aut brevi sagulo 35  
utebantur nulla cultus occultatione; scuta tantum coloribus

hisque lectissimis distinguebant; paucis loricae usus, vix uni alterive cassis aut galea. Equi nec forma nec velocitate conspicui nec in gyrum ut Italici, sed recto tantum conatu aguntur. Scutum in pugna amisisse praecipuum flagitium, ut sacris et  
5 publico concilio excluderentur eiusmodi clade adfecti. Multi tali infamiae superstites vitam laqueo finierunt. Reges nobilitate legebantur nec his libera infinitaque potestas fuit. Exercitus is ductabat, qui praecipua virtute praestaret quique exemplo magis quam imperio polleret. Vincire, verberare, animadvertere  
10 in quemquam nullius ius esse praeterquam sacerdotum, ut non imperio, sed divinitus flagitia vindicari crederentur. Signa quaedam deorum lucis detracta in proelium gestari praecipuum in pugna incitamentum. Omnes suas necessitudines in proximo statuebant, ut in suorum conspectu aut gloriose vincerent aut  
15 cum laude caderent: liberi, coniuges, parentes sanctissimi pugnae testes adhibebantur. Ad matres et uxores accepta vulnera defererebant; nec illae et numerare et exigere plagas formidabant. Eaedem cibos hortationesque pugnantibus suggerebant. Proditum memoriae est inclinatam aciem aliquando illarum hortatu  
20 restitutam. Creduntur ad haec arbitrari aliquid sancti providique in feminis esse earumque consilia propterea non aspernari responsaque neglegere. Mercurio certis diebus humanas hostias immolabant, Herculi et Marti ex ceteris animalibus. Sortes et auguria in usu. De minoribus rebus principes civitatis con-  
25 sultabant, de maioribus universa civitas. In inchoandis rebus nova luna aut plena observabatur. Noctium, non dierum numerus supputabatur in ea gente. In concilium armati ventitabant. Sententiam approbaturi frameas concutiebant; id honoratissimum assentiendi genus; contra aspernati fremitu significabant. Trans-  
30 fugae et proditores ex arboribus pendentes, ignavi et imbelles atque infami corpore coeno obruti aut palude aliqua superiecta crate necabantur, tamquam scelera in aperto ponenda essent, flagitia contegenda. Nihil publice aut privatim magistratus agere nisi armis instructi. In commeatu et affectatione incredibilis  
35 aemulatio; qui maiori iuvenum globo stipatus in publicum processisset, praecipua celebritate apud suos et finitimos esse. Turpe

et in omni vita infame suo duci superstitem in proelio esse, nisi victor is ex acie decessisset. Princeps pro victoria, comites pro principibus dimicabant. Bella ultro appetere, utpote quibus omnis a re bellica esset quies ingrata. Inertiae et ignaviae dabatur sudore aliquid quaerere, quod posset cruore parari. Bellorum 5 cura destituti somno et cibo vel fortissimi quique indulgebant domo et agrorum cura feminis et senibus delegata, ut mirum videri possit duo tam diversa eidem genti adfuisse, et inertiae amorem et odium quietis. Vicatim plurimum discretisque domiciliis habitabant. Tegumen fuit sagum fibula aut, si ea 10 defuisset, spina consertum; locupletissimi veste distinguebantur non fluxa, sed stricta ac pæne singula membra exprimente; idem feminis habitus, qui et viris. Atque Germani ipsi omnium fere, qui ad septentrionem et ortum habitant, soli unica uxore contenti ab initio fuere; quamquam et in his nonnulli plura ce- 15 lebrarent connubia. Non uxor viro, sed vir uxori dotem comparabat. Nec ad delicias quaerebatur cultus, sed iugati boves dabantur, frenatus equus et scutum cum framea et gladio. Mira in feminis pudicitia, nulla spectandi fuit illecebra, nulla convivorum ratio, rara in tam numerosa gente adulteria: cuius 20 convictam mulierem resectis capillis nudatam coram propinquis maritus domo exactam toto vico verberibus agebat; profligatae pudicitiae nulla venia, non aetas, non forma, non opes connubium corruptis conciliare poterant. Nemo tamen vitia ridere, id enim saeculum corrumpere et corrumpi arbitrabantur. Sic unum 25 mulieres maritum accipere, ut unum corpus et unam vitam, nec ulla cogitatio ultra nec longior cupiditas, tamquam matrimonium amarent, non maritum. Plus apud illos boni mores valuerunt quam alibi bonae leges. Serus in iuvenibus usus veneris atque eo minus exhausta pubertas; nec connubia virginum 30 properabantur, ut validior esset procreatio. Homicidium certo pecorum numero luebatur, atque universa domus satisfactionem capiebat. Convictibus et hospitali mensae supra modum studebant. Nefas habebatur quemquam domo aut epulis arcuisse. Gaudebant muneribus nec data imputare aut obligari acceptis. Diem 35 noctemque potando continuare. Temulentia nulli probro data



est. Crebrae post crapulam rixae; raro conviciis, caede saepius transigebantur. De pace et bello in conviviis consultare, quasi nullo alio tempore simplicius paterent hominum curae aut ad res magnas magis incalescerent. Gens minime astuta simpliciter  
5 omnia arcana detegere; postridie acta retractabant, ut de summa rerum deliberarent, dum fingere nescirent; decretum vero ferrent, dum errare non possent. Potus ex hordeo in similitudinem vini corruptus; proximi fluviorum accolae advecticia vina in usu habebant. Cibus simplex, agrestia poma, recens farina et lac  
10 concretum, potus immoderatio. Uno spectaculorum genere usi, ut nudi iuvenes inter gladios et frameas sese celeriter expedirent. Exercitatio artem parabat, ars decorem. Aleae adeo studiosi, ut ceteris amissis novissimo iactu de libertate contenderent; victus voluntariam servitutem adibat et quamquam iuvenis  
15 et robustus ligari se et vendi patiebatur. Annum in hiemem, ver et aestatem divisum habebant autumnum vini et ceterarum frugum inopia nescientes. In funere lamenta et lacrimas cito abstergebant, in dolore et tristitia permanebant diutius; feminis tantum lugere permissum, viris meminisse solum.

20 Et hi olim fuerunt Germanorum mores, talis vivendi ritus. Sed quae mutatio longo temporum intervallo ut in ceteris gentibus sit facta, ex praesenti rerum statu deprehendi potest.

Omnis hodie Germanorum condicio sive status quadruplex est. Primus clericorum tam saecularium quam religiosorum, cuius  
25 utrique magnis et largis redditibus censibusque provisi ab aliis plurimum honoris percipiunt non solum, quod Deo optimo maximo sacrificent, sanctorum laudes cantent ac animarum curam habeant, sed etiam, quod scripturas intellegant et ipsas interpretentur vitamque caelibem agant. Nam qui in his minus  
30 probantur, facile ab inerti vulgo aspernari solent. Vestitu religiosi quique suo et satis decenti utuntur. Saeculares tunicas portant fluxas pullo ut plurimum colore, caput mitra lanea tegunt non multum fastigiata, sed capite aure tenus satis adhaerenti. Ex collo, cum in publicum procedunt, fasciam dependunt, quidam  
35 sericam, quidam laneam, honestatis tantummodo causa. Superducunt et calceis crepidas sive sandalia, quae domum reversi

deponunt. Otio maior pars vacat, literis pauci intendunt, pomeridianas horas ludendo potandoque deducunt. Iniurias suas minores sacerdotes ad episcopum deferunt et aliquando ad Romanam curiam; unde gravi damno eos, qui nocuere, aliquando afficiunt et sibi securitatem parant. 5

Secundus status nobilium est. Hic gradus multos habet; sunt enim principes, sunt comites atque barones atque inferioris gradus milites. Principes non solum dignitate et generis claritudine, sed et potentia ceteris antecedunt; terras habent et dominia latissima. Comites et barones ceterique nobiles per regionem 10 dispersi florum ad instar interlucent. Sed illud in nobilium ordine mirum videri potest, quod principes ipsi atque comites Caesari, quoties imperii necessitas exigit, obsequia tamquam subiecti praestent, milites exemptos se dicant et nisi ad stipendium nemini serviant nec subditos suos servire sinant, et tamen 15 Romanorum imperatorem dominum suum ac principem esse dicant et recognoscant. Profanari et non parum minui generis sui splendorem existimant, si mercaturam artemve aliquam mechanicam exerceant, si plebeiam aut sibi inferiorem uxorem ducant, si in aliena urbe civium more habitent. Ipsi urbanorum 20 consortia, commercia omnia perosi arces et robustiora splendidaeque aedificia in montibus, silvis et rure collocata cum familia sua libere habitant. Quidam principum aut regum curias frequentant et bella sequuntur; alii de redditibus suis et patrimonio viventes domi manent, communiter tamen venantur, 25 quod solis ipsis licere longo usu et concessa libertate contendunt; privatis leporum praesertim, caprearum, hinnulorum cervorumque venatio in aliquibus locis oculorum effossione, in quibusdam truncatione capitis interdicta; noxias tamen feras captare cuique licet. Laute insuper nobiles ipsi epulantur, vestiuntur splendide, 30 auro et argento diversicolorique serico tam viri quam mulieres domi et foris exornantur; multo familiarium coetu incedunt et incesso adeo maturo et praemeditato, ut a plebeis mox, ut videantur, internosci possint. Equis, si longius eundum sit, et non pedibus vadunt; dedecorosum enim hoc valde ducunt et 35 merum egestatis indicium. Sed praedari, ubi necessaria desint,

non verentur. Iniurias illatas raro iure, saepius congregato ex sociis equitatu, ferro, flammis et rapinis ulciscuntur coguntque per hoc eos, qui intulerunt, ad satisfactionem. Gens superba, inquieta, avara, ecclesiae praelatis et eorum bonis insidians semper  
5 subditos rusticos irremissa servitute exercet. Incredibile dictu, quantum miseros et infelices homines vexet, quantum exsugat. Esset Germania nostra ter quaterque felix, si centaury isti, Dionysii et Phalarides aut eicerentur aut saltem ipsorum tyrannide refrenata et potestate diminuta privatim, quemad-  
10 modum in Helvetia, nobiles vivere cogerentur.

Sequens status oppidanorum est, quorum quidam Caesari tantum subiecti sunt, quidam principibus aut ecclesiae praelatis. Qui Caesari parent, libertates multas habent, mores etiam et instituta, quibus in communi ferme utuntur. Singulis annis  
15 ex civibus magistratus suffragio creatur, apud quem summa potestas cum imperio sit. In caput animadvertere cuiusque habet, hoc ordine: si de criminibus agitur, assident in concilio hi, quos sibi civitas delegit, rei ipsi ligati adducuntur, accusatoribus et reorum defensoribus dicendi copia datur, quibus auditis eunt  
20 in sententiam, non ut leges censent, quas non noverunt, sed prout ratio eis dictat atque iudiciorum consuetudo habet; quod et in civilibus causis observatur, excepto, quod Caesar in his appellari potest, in illis vero non. — In omni fere imperiali civitate duplices cives sunt, ingenui et plebei. Mercantiis et officinis  
25 plebei intendunt, ingenui (qui et patricii dicuntur) patrimoniis tantum redditibusque suis contenti equestrem ordinem imitantur. Si plebeiorum quispiam ditior factus se illis commercio aut consuetudine commiscere contenderit, repellitur, unde longo iam tempore uterque status in suo valore perdurat. Rei publicae  
30 administratio tamen fere communis est et utrisque permissa nec eis plebs servire aut subiecta esse videtur. Sua cuique substantia tuta est et libertas, salvis legibus, ut vivere velint. In communi iustitia per totam regionem ab illiteratis administratur. In singulis oppidis et nonnullis pagis etiam viri duodecim vitae  
35 integritate ac honestate praecipui eliguntur in iudices nullo habito respectu, sciantne literas vel non. Illi iudicandi munus



necessario subeunt, licet remunerationem seu mercedem inde nullam expectent praeter honorem; pro communi tantummodo bono suis negotiis posthabitis iudiciis statuto tempore intendunt iurantque singuli se unicuique iudicatuos, secundum quod eis visum fuerit iustius atque melius. Nec a sententiis eorum maiores 5 nostri appellabant indignum fore putantes tantorum virorum gratis iudicantium decretis contraire. Hodie vero passim ab eis appellari coepit; quod ferendum esset, si iudices, ad quos appellatum fuerit, in iudicando consuetudinem priorum iudicum servarent; sed hoc a paucis attenditur, immo plerumque priorum 10 iudicum sententiae alioquin nullam iniquitatem continentes ob id solum, quia contra leges scriptas prolatae inveniantur, retractantur, in quo sine eorum demeritis et iudices primae instantiae imperitiae sugillantur et victrix pars gravatur. Hoc quam iustum sit, viderint ipsi. — Cives insuper honestissime inter 15 se et amicissime vivunt; in locis publicis et privatis frequenter convenientes mercantur, convivantur, colludunt, colloquantur, raro alterutrum decipiunt, raro contendunt; quocumque tempore, quocumque etiam loco tam viri quam mulieres obviantes invicem honorant et salutant. Victu vestituque privatis diebus ferme 20 omnes Germani admodum frugali et simplici utuntur, festivos parum splendidiori. Operantes in die quater comedunt, otiosi bis. Habitus, quo viri induuntur, communiter laneus est, quo mulieres, lineus; sed adeo utrorumque diversus et colore et forma, ut raro unus sicut alius vestitus appareat. Adventiciis et novis 25 vestimentorum formis iam plurimum gaudent, Italicis Gallicisque praesertim, a quibus ante paucos annos obtusa calceamenta viri, cum fluxis et discissis manicis tunicas et texta pilea, quae pyretia vocant, receperunt. Gestabantur mea adhuc memoria rostrati calcei, vestes curtae atque 30 strictae, caudata capitia. Sed ista antiqua virorum frugalitas hodie ad mulieres venit, mulieribus commissa est. Hae depositis multiplicibus peplis, quibus grandia olim capita faciebant, unico tantum hodie velantur, modestius incedunt. Aurum, argentum et uniones, exquisitas item vestimentorum fimbrias ex variis et 35 pretiosis animalium pelliculis aut sericis fere omnino abiecerunt.



Quid dicam de vestium symmatis, quae nisi apud nobilitatem vix magis conspiciuntur? Satis honestus hodie feminarum vestitus est, satis decorus; nihil haberet, quod merito reprehendere quis posset, si a quibusdam superne nimium non excavaretur.

5 In funeribus et parentationibus nigris amiciuntur, defunctos dies triginta lugent ac ipsis interim ter iusta persolvunt, primo videlicet die, septimo atque tricesimo. Ad Dei cultum deditissimi sunt: nullus artificum est, qui mane, antequam laborare incipiat, aedes sacras non intret et divino officio intersit; servi atque

10 ancillae ad hoc a dominis quasi compelluntur, turpe putant eisque non modicum exprobandum, qui ex pigritia aliave inani causa sacra neglegunt. Eleemosynas multas tribuunt. Nulla fere civitas est, in qua non fratrum mendicantium conventus sunt, peregrinorum inopum publica hospitia. Aluntur etiam

15 iuvenes ephēbi, qui studiorum causa paterna domo digressi voluntarie hinc inde exulant, tam multi interdum in una civitate, ut mirari possis, unde nutriantur; illi a civibus ex pietate hospitantur, victum domesticatim cantantes mendicant, eum tamen large accipiunt propter hoc, quod aedibus sacris et sacerdotibus

20 deputati divina officia cantent ad clericatumque instituantur. Domus publica iuxta singulas parochias una est, in qua artium et disciplinarum studio tam hi quam civium filii cotidie conveniunt. Qui ipsis praesunt docentque, viri non minus virtute quam doctrina spectati sunt; delinquentes et literarum neglectores

25 ferulis percutiunt aut verbis duriusculis castigant. — Privatae aedes pæne omnes contiguae sunt atque pro civium facultate vicorumque dispositione constructae. Divites lapidibus caementoque superbe aedificant, pauperes luto et ligno tantum humiliter; tegulis tamen latericeis aut scissili lapide aedificia sua utrique

30 tegunt, ob decoremne aut adversus incendium, affirmare non possum. In Saxoniam et aliis plerisque locis dolatis asserculis operiunt; qua re oppida parum venusta visuntur et igni magis obnoxia sunt. Plateae ut plurimum silicibus stratae sunt. Portae seu exitus urbium celsis turribus insigniti, in quibus diurni

35 custodes adventantes equites tuba significare solent, ut hi, qui portas inferius observant, praemoneantur et eas in maiori tutela habeant. Urbes communiter natura et arte munitae aut iuxta

vortiosa flumina vel in montes sitae sunt; quae in plano resident, muris fossatis, vallis insuperabilibus circumsaepatae turribus et propugnaculis innumeris veluti ex terra prominent. Est etiam multarum civitatum circumiacens ager fossis adeo profundis et amplis conclusus, ut ab externa populatione et is tutus sit. 5

Eorum postremum, qui in rure pagatim villatimque habitant quique illud colunt et propter hoc rustici vel rurales appellantur, si credere velint, satis misera et dura condicio est; seorsum ab aliis quisque cum familia et pecore suo humiliter vivit. Casae luto lignoque e terra paululum eductae et stramine 10 contactae domus. Panis cibarius, puls avenacea aut decoctum legumen cibus. Aqua serumve potus. Toga linea, perones duo et pileus fucatus vestitus. Gens omni tempore inquieta, laboriosa, immunda. In vicinas civitates ad vendendum portat, quidquid tam ex agro quam ex pecore fructus percipit, sibi 15 ibi e diverso comparat, quorumcumque eget. Artifices enim secum habitantes nullos aut paucos habet. In sacra aede, quae in singulis vicis communiter una est, festo die ante meridiem omnis convenit et a sacerdote suo Dei verbum et sacra audit; post meridiem vero sub tilia aut alio publico loco atque de suis rebus 20 tractat. Iuniores postea modulante tibicine choream ducunt, senes petunt cauponam et vina bibunt. Absque armis in apertum virorum nullus vadit, gladiis ad omnem temporis fortunam praecincti. Viros singuli pagi inter se eligunt duos aut quattuor, quos rusticorum magistros appellant; contentionum 25 illi contractuumque sequestres sunt et reipublicae dispensatores; administrare tamen non habent, sed domini aut qui ab his eis praeficiuntur barbaro nomine sculteti. Dominis crebro per annum serviunt, rus colunt et semine conspergunt, fructus metunt et horreis important, ligna secant, domos aedi- 30 fificant, fossas effodiunt. Nihil est, quod servilis et misera gens ipsis debere non dicatur. Nihil etiam, quod iussa facere absque periculo recusare audeat; delinquens graviter multatur. Sed nihil est genti durius, quam quod praediorum, quae possidet, maior pars non sua sit, sed illorum, a quibus certa frugum parte quotannis 35 redimere debet. Et tales hodie in universum Germanorum mores sunt, hi vivendi ritus.

## II

### De Saxonía Saxonumque et priscis et recentibus moribus.

Saxonía, Germaniæ particularis regio, ab occasu Visera fluvio aut, ut alii volunt, Rheno terminata ad aquilonem Dacos habet et mare Balteum, Francones ad meridiem, quibus Baioarii et Bohemi obtenduntur, ad ortum Pruteni; intra quos terminos  
5 quam multae gentes diversis nominibus hodie includantur, ex supradicta Germaniæ descriptione intellegi potest, quae omnes Saxonici iuris esse volunt. Terra a Saxonibus populis nomen accepit, quos quidam reliquias Macedonici exercitus, qui secutus magnum Alexandrum immatura ipsius morte per totum orbem  
10 sit dispersus, esse dixerunt. Quidam eos a Britannia quaerendarum sedium causa navigiis digressos Germaniæ adnavigasse et propulsatis Thuringis eorum terram occupasse. Erat enim Saxonica gens ab initio inquieta nimis, finitimorum sedibus infesta, domi tamen pacata et civium utilitatibus placida benignitate consulens.  
15 Generis quoque ac nobilitatis suae providissimam curam habens nec facile ullis aliarum gentium vel sibi inferiorum connubiis infecta, proprium, sincerum et tantum sui similem populum facere conata. Unde habitus quoque ac corporum magnitudo, comarum color tamquam in tanto numero hominum idem paene omnibus.  
20 Quattuor in genere differentias habuit, nobilium, liberorum, libertorum atque servorum. Et id legibus cautum erat, ne ulla pars suae sortis oblita terminos in copulandis coniugiis transgrediatur, sed nobilis nobilem ducat uxorem et liber liberam, libertus coniungatur libertal et servus ancillae, quicumque vero  
25 contra faciat, cum vitae suae id damno luat Legibus ad male-

factorum vindictam optimis utebatur. Multa quoque utilia  
et secundum naturae legem honesta in morum probitate habere  
studuit, quae ei ad veram beatitudinem promerendam suffecissent,  
si aliqualem creatoris sui Dei optimi maximi notitiam habuisset.  
Fronosis arboribus fontibusque venerationem exhibuit et trunco  
ligneo non parvae magnitudinis sub divo erecto, quem patria  
lingua Irminsaul, latine universalem columnam dixit quasi  
omnia sustentem. Coluit etiam Mercurium, cui certis diebus  
humanis hostiis litabat. Deos suos neque templis includere  
neque humanae speciei assimilare pro divinitatis magnitudine  
et dignitate licitum arbitrata est. His lucos et nemora con-  
secravit ab illorumque nominibus dixit; secreta non nisi cum  
maxima reverentia contemplabatur. Auspicia et sortes gens  
illa quam maxime observabat. Virgam frugiferae arbori decisam  
in surculos amputabat eosque notis quibusdam discretos super  
candidam vestem temere ac fortuito spargebat. Mox si publica  
consultatio fuit, sacerdos populi, si privata, ipse pater familias  
precatu deos caelumque suspiciens ter singulos tulit sublatisque  
secundum impressam antea notam interpretatus est et si pro-  
hibuerunt, nulla de eadem re ipsa die consultatio erat. Si per-  
missum est, eventuum adhuc fides exigebatur. Avium voces  
volatusque interrogare proprium gentis erat. Equorum quoque  
praesagia ac monitus experiri publice alebantur iisdem in ne-  
moribus ac lucis candidi et nullo mortali opere contacti; quos  
pressos sacro curru sacerdos vel rex princepsve civitatis comita-  
bantur atque hinnitus ac fremitus observabant nec ulli auspicio  
maior fides adhibebatur, non solum apud plebem, sed apud  
proceres etiam atque sacerdotes. Eos enim ministros deorum  
esse et divinorum consiliorum conscios credebant. Erat et alia  
auspicio observatio genti in usu, qua gravium bellorum  
eventus explorabat, eius videlicet gentis, cum qua bellandum  
fuit, captivum quemque interceptum compellendo cum electo  
popularium suorum decertare; victoria huius vel illius pro prae-  
iudicio accipiebatur.

Carolus Magnus diutino bello gentem omni impietate abiecta  
Christianam fidem assumere coegit, quam et hodie cum ceteris



Germanis religiosissime observat. Regio multis augustissimis et sumptuosissimis basilicis, templis et coenobiis clara. Quod Alberstadio est beatæ virginis sacrum, profanis non patet, tantum initiati subeunt. Inducitur tamen unus aliquis e populo cinericio  
5 die hominum opinione nequissimus; hunc velato capite, pulla veste sacris admovent, quibus rite peractis templo eicitur; eiectus toto ieiuniorum tempore nudis calcibus urbem pererrat divorum templa visitabundus. Sacerdotes illi victum suggerunt, mox in dominica cena iterum templo inductus post olei consecrationem  
10 ab universo clero expiatus dimittitur eleemosyna prius accepta, quam pie offert templo. Hunc Adam vulgo vocant, quia ut protoplastus ille omni vacet crimine per eumque civitas creditur expiata.

Est ager Saxonicus rerum omnium præterquam vini ferax,  
15 argenti atque aeris fossiones multas habet. Ad Goslariam et plerisque aliis locis salem ex fontium quorundam aquis albissimum coquunt et vectigal ingens percipiunt. Hordeum et triticum serunt, ex quibus non solum candidissimum panem efficiunt, sed etiam ob vini caritatem potum cerevisiam, quæ adeo sitienter  
20 et immodeste ab ipsis bibitur, ut ubi in symposiis convivisque pocillatores nec hyalis nec cantharis sat infundere possint, repletum multrale apponant et scutella iniecta hortentur quemque pro libito potare. Dictu incredibile est, quantum huius liquoris in se immodestissima gens capiat, quantum mutuo ad  
25 bibendum cogant et hortentur; non sus, non taurus tantum ingurgitaret. Non ad ebrietatem atque vomitum potasse sufficit, sed rursus ad sobrietatem, dies noctibus noctes diebus continuantes. Qui cunctos potando superat, is non solum laudem et gloriam deportat, verum etiam, pro quo contenderunt, ex  
30 bene olentibus herbis aut rosis sertum aut quid aliud in præmium. Serpit ab illis eheu perditus mos fere in totam Germaniam, ut eo modo etiam iam fortissima vina bibantur, cum ineffabili malo. Hospiti vel alteri eum locum, in quo bibitur, subeunti potum quotquot habent assurgunt et porrecto poculo ad com-  
35 bibendum officiosissime hortantur. Inimicus arbitratur, qui sæpius invitatus non prætenta causa computare recusat;

caede nonnunquam et multo sanguine hoc dedecus expiatur. Cibatu Saxones duro et inconcinno utuntur, lardum, aridae hillae, cepae crudeae, butyrum salsum et nondum adhuc liquatum peculiaris genti cibus. Dominicis diebus in ple-  
risque locis coquunt, quo per hebdomadam vescantur. In-  
fantes non ut apud nos pulte, quae farina et lacte concinnatur, <sup>5</sup>  
nutriuntur, verum solidiori cibo, qui bene masticatus a nutricibus  
ad deglutiendum tenello ori immittitur; unde Saxones tali cibo  
in tenera aetate assueti et tolerantiores redduntur et validiores.  
Linguae peculiarem habent. Vestitum et cetera cum aliis <sup>10</sup>  
Germanici sanguinis indiscreta.

### III

#### De Westfalia et iudicio Westfalis a magno Carolo commisso.

Westfalia Saxoniae limitibus inclusa Rhenum ab occidente  
habet, Visurgim, qui etiam Visera dicitur, ab oriente, a septen-  
trione Frisiam et Holandiam; meridiem Hassiae montes ex-  
cipiunt, quos Obnobios Ptolemaeus appellare videtur; ex quibus  
5 Amasis fluvius oritur, qui Paderburnam et Monasterium non  
ignobiles civitates [alluens] mediam ferme provinciam intersecat et  
per Frisiam defluens fertur in mare. Sala quoque Drusi, qui Augusti  
privignus fuit, clade celebris. Haec regio olim, ut Strabo scribit,  
a Bructeris inhabitata est. Alii a Sicambris dicunt. Hos populos  
10 Carolus, Francorum rex, qui Magni cognomen tulit, bello victos  
primum ad Christianam fidem compulit; ceterum cum saepius  
rebellerent repetitoque idolorum cultu Christi religionem sper-  
nerent nec iusiurandum quovis modo adverterent, ut metu  
poenae gentis temeritatem Carolus compesceret, occultos iudices  
15 instituit, quibus potestatem dedit, ut, quamprimum deierasse  
aliquem comperissent aut fregisse fidem aut aliquod aliud scelus  
perpetrasse, mox illum, ubi primum comprehendi posset, pro  
arbitrio necarent nulla citatione aut expurgatione praevia; viros  
20 graves ac iustos elegit, qui plectere innocentes haud ab re possent.  
Terruit ea res Westfalos ac demum in fide continuit, cum saepe  
in nemoribus et proceres et mediocres viri laqueo suspensi in-  
venirentur nulla accusatione prius audita; quaerentibus tamen  
causam constabat fidem fregisse aut magnum aliquod scelus  
commisisse.

25 Id iudicium ad nostram usque aetatem perdurat vocaturque  
vetitum. Qui ei praesunt, scabini appellantur, quibus tanta

praesumptio est, ut etiam per totam Germaniam iurisdictionem suam extendi velint. Secretos ritus habent et arcana quaedam instituta, quibus malefactores iudicant; ea nondum quisquam repertus est qui vel pretio vel metu revelaverit. Ipsorum quoque scabinorum maior pars occulta est, qui per provincias dis-  
5 currentes criminosos notant et inferentes iudicio accusant probantque, ut eis mos est; damnati libro inscribuntur et iunioribus scabinis committitur executio. Rei ignari suae damnationis ubicumque reperiuntur, supplicio afficiuntur. Degeneravit autem  
10 hodie iudicium; nam et viles interdum personae admittuntur et civilia negotia tractare audent, quibus erat solum de criminalibus permissa potestas.

Regio est admodum frigida, vini et frumenti inops; pane vescuntur nigro, cerevisia potus est. Vinum, quod Rheno advehitur, magno emitur pretio; eo tantum opulenti et raro tamen  
15 utuntur. Bellicosi indigenae atque ingeniosi; unde inolevit proverbium: Westfaliam vitiosos ac fallaces homines potius gignere quam stultos. Praesuli Coloniensi parent.



#### IV

### De Franconia et Francorum multis ritibus.

Franconia sive Francia orientalis, Germaniae pars et fere mediterraneum, a Sicambriis, quibus Valentiniani Caesaris tempore ob Alanos devictos Francorum nomen contigit, appellata. Sueviam et Baioariam a meridie habet, Rhenus illi occidentalis est, ab ortu Bohemi accolunt, Hassi et Thuringi Saxoniae populi a septentrione. Regiolatis ac densissimis silvis asperisque montibus clausa difficulter adiri potest; intus plana est, innumeris turritis oppidis, castris et pagis exculta. Silva, quae Hercynia dicitur, editissimis iugis per circuitum obfirmans eam veluti nativo muro ambit. Moganus navigabile flumen, Sala et Tuberus, Neccharus etiam perlabuntur; valles, in quibus decurrunt, amplae et profundae sunt earumque utraque latera vitibus consita; vinum producunt, quod ob sui praestantiam ad remotissimas gentes transportatur. Terra praeterquam ea pars, quae Norica hodie vocatur atque ubi fluminibus vicinior est, arenosa nimium non est, ut Aeneas Sylvius scriptum reliquit, nec nimium etiam silicosa. Fertilis omnis est. Hordeum, triticum et omne frumentum legumenque satum multo cum fenore reddit. Nulla Germaniae provincia plures et maiores cepas gignit, nulla grandiora rapa et caulibus capita. Adde glycyrrhizam, radicem melleam, quae in Babenbergensi agro tanta copia effoditur, ut ingentes currus ea onerari videas. Est etiam undecumque terra cultissimis pomariis et pratis amoena hominibus omnigenisque pecoribus abundans. Est piscatio propter fluviorum copiam multa. Maior tamen venatio. Ferae in nemoribus a principibus foventur; aperta stabula hae plurima habent, in quibus hiemis

tempore pabulum et interdum sal accipiunt seque a caeli inclementia tutantur; eas captare aut saltem persequi privatorum nemini concessum.

Principes, quibus Franconia subiecta est, quinque sunt: Burggravius Nornbergensis, Comes Palatinus Rheni duo saeculares, Babenbergensis, Herbipolensis, Moguntinensis tres ecclesiastici. Herbipolensis terrae ducatum habet, quare dum sacris operatur, in altari denudatum gladium habet atque vexillum. Is die, quo metropolim primum cathedramque episcopalem possidere intendit, pro more civitatem ipsam ingenti ac exquisitissimo equitatu accedit, in quam admissus intra portas de equo descendit et paludamento omni abiecto griseam et vilem tunicam induit funeque praecingit atque in ea plantis et capite nudus humiliter in basilicam ad patres concanonicos ascendit, quibus fidelitate promissa in cathedram sublimatur; ducitur tamen prius ad episcopi cuiusdam statuam ibique serio admonetur, ut talem agere velit, qualis ille fuerit, qui ex humili et abiecto scholasticulo per discordiam contemptumque electus ecclesiae statum optime administravit. Huic cathedrae nullus ex ducibus aut etiam comitibus progenitus praeficitur, sed qui ex inferiori nobilium ordine sit, non quod principem sustentare non possit, cum opulenta et potens satis existat, verum ut episcopatus apud eos permaneat, ex quibus maior canonicorum pars constet. Est etiam Herbipolensis ecclesiae praepositura insignis, quam quoties novus possessor intrat, debet ille in multis per regionem pagis ob decimam, quam in his habet, referta vino ingentia dolia in publicum statuere et scutellas aliquot imponere, ex quibus quicumque velit bibere possit.

Franconiae gens a ceteris Germanis et habitu et corpore nihil differt. Laboris patientissima est; in vinetis colendis tam viri quam mulieres exercentur; nemini otium datur. Vinum, quod inde percipit, ob domesticam egestatem vulgo vendit, ipsa aquam bibit. Cerevisiam contemnit nec facile ad se deferri permittit. In Herbipoli ieiuniorum tantummodo tempore et extra civitatem in navalibus haec venditur, ut hi, qui tum se a vino abinent, eam aquae loco habeant. Insolens gens est

superbaque, multum sibi arrogans, multum praesumens, alias nationes contemnit cavillisque adeo plerumque prosequitur, ut qui cum ea morantur, nisi lingua prodat, patriam suam non dicant. Eos, qui haec patienter ferunt, facile secum commorari  
5 patitur et veluti per hoc approbatos coniugiis admittit; unde multi Suevi, multi Bavari Hassique in Franconia habitant. Ad Dei insuper cultum propensa est; duo tamen non mediocria vitia sunt, quibus plus satis hodie gens illa indulget, blasphemia videlicet et latrocinium, illud decorum, hoc honestum reputans et sibi  
10 ex longo usu licitum.

Multos mirandos ritus observat, quos ideo referre volo, ne, quae de externis scribuntur, inanes fabulae aestimentur. In trium quintarum feriarum noctibus, quae proxime domini nostri natalem praecedunt, utriusque sexus pueri domesticatim eunt  
15 ianuas pulsitantes cantantesque futurum salvatoris exortum annuntiant et salubrem annum; unde ab his, qui in aedibus sunt, pira, poma, nuces et nummos etiam percipiunt. — Quo Christi Iesu natalem gaudio in templis non clerus solum, sed omnis populus excipiat, ex hoc attendi potest, quod puerili statuncula in altare  
20 collocata, quae nuper editum repraesentet, iuvenes cum puellis per circuitum tripudiantes choreas agant, seniores cantent more haud multum ab eo quidem diverso, quo Corybantes olim in Idae montis antro circa Iovem vagientem exsultasse fabulantur. — Kalendis Ianuariis, quo tempore et annus et omnis computatio  
25 nostra inchoatur, cognatus cognatum, amicus amicum accedunt et consertis manibus invicem in novum annum prosperitatem imprecantur diemque illum festiva congratulatione et computatione deducunt. Tunc etiam ex avita consuetudine ultro citroque munera mittuntur, quae a Saturnalibus, quae eo tempore celebrabantur, a Romanis Saturnalicia, a Graecis apophoreta dicta  
30 sunt. Hunc morem anno superiori ego ita versificavi: Christe patris verbum etc.

Natalemque tuum celebrantes octo diebus

Concinimus laudem perpetuumque decus.

35 Atque tuo exemplo moniti munuscula notis

Aut cappum pinguem mittimus aut leporem

Aut his liba damus signis et imagine pressa.

Mittimus aut calathis aurea mala decem,

Aurea mala decem buxo cristata virenti

Et variis caris rebus aromaticis. —

In Epiphania domini singulae familiae ex melle, farina, 5  
addito zinzibere et pipere libum conficiunt et regem sibi legunt  
hoc modo: libum mater familias facit, cui absque consideratione  
inter subigendum denarium unum immittit, postea amoto igne  
supra calidum focum illud torret, tostum in tot partes frangit,  
quot homines familia habet; demum distribuit cuique partem 10  
unam tribuens. Adsignantur etiam Christo beataeque virgini  
et tribus magis suae partes, quae loco eleemosynae elargiuntur.  
In cuius autem portione denarius repertus fuerit, hic rex ab  
omnibus salutatus in sedem locatur et ter in altum cum iubilo  
elevatur; ipse in dextra cretam habet, qua toties signum crucis 15  
supra in triclinii laqueariis deliniat, quae cruces, quod obstare  
plurimis malis credantur, in multa observatione habentur. —  
Duodecim illis noctibus, quae Christi natalem Epiphaniamque  
intercurrunt, nulla fere per Franconiam domus est, quae saltem  
inhabitetur, quae ture aut aliqua alia redolenti materia adversus 20  
daemonum incantatricumque insidias non subfumigetur. —  
Quo item modo tres praecedentes quadragesimale ieiunium dies  
peragat, dicere opus non erit, si cognoscatur, qua populari, qua  
spontanea insania cetera Germania, a qua et Franconia minime  
desciscit, tunc vivat. Comedit enim et bibit seque ludo iocoque 25  
omnimodo adeo dedit, quasi usui numquam veniant, quasi cras  
moritura hodie prius omnium rerum satietatem capere velit. Novi  
aliquid spectaculi quisque excogitat, quo mentes et oculos omnium  
delectet admirationeque detineat. Atque ne pudor obstet, qui  
se ludicro illi committunt, facies larvis obducunt; sexum et aetatem 30  
mentientes viri mulierum vestimenta, mulieres virorum induunt.  
Quidam satyros aut malos daemones potius repraesentare vo-  
lentes minio se aut atramento tingunt habituque nefando detur-  
pant; alii nudi discurrentes Lupercos agunt, a quibus ego annum  
istum delirandi morem ad nos defluxisse existimo. Non enim 35  
multum diversus est a Lupercalibus sacris, quae Lycaeo Pani



in mense Februario olim a nobilissimis Romanorum iuvenibus celebrabantur, qui nudi faciesque sanguine foedati per urbem vagantes obvios loris caedebant, quos nostri saccis cinere refertis percutiunt. — In die cinerum mirum est, quod in plerisque locis  
5 agitur. Virgines quotquot per annum choream frequentaverunt, a iuvenibus congregantur et aratro pro equis advectae tibicinem suum, qui super illud modulans sedet, in fluvium aut lacum trahunt; id quare fiat, non plane video, nisi cogitem eas per hoc expiare velle, quod festis diebus contra ecclesiae praeceptum a  
10 levitate sua non abstinerint. — In medio quadragesimae, quo quidem tempore ad laetitiam nos ecclesia adhortatur, iuventus in patria mea ex stramine imaginem contexit, quae mortem ipsam (quemadmodum depingitur) imitetur; inde hasta suspensam in vicinos pagos vociferans portat. Ab aliquibus perhumane  
15 suscipitur et lacte, pisis siccatisque piris, quibus tum vulgo vesci solemus, refecta domum remittitur; a ceteris, quia malae rei, ut puta mortis, praenuntia sit, humanitatis nihil percipit, sed armis et ignominia etiam adfecta a finibus repellitur. Eodem tempore et talis mos observatur: intexitur stramine vetus una  
20 lignea rota atque a magno iuvenum coetu in editiorem montem gestata post varios lusus, quos in illius vertice illi toto die, nisi frigus impediatur, celebrant, circiter vesperam incenditur et ita flammans in subiectam vallem ab alto rotatur; stupendum certe spectaculum praebet, ut plerique, qui prius non viderint, solem  
25 putant aut lunam coelo decidere. — In Paschate vulgo placentiae pinsuntur, quarum una, interdum duae — adolescentibus una, puellis altera — a ditiori aliquo proponuntur, pro quibus in prato, ubi ante noctem ingens hominum concursus fit, quique agiles pedestres currant. — Ad parochialium templorum dedica-  
30 tiones, quae Christiano instituto quotannis festivo gaudio et comissione a totis pagis peraguntur, adolescentes ex aliis locis non templa, sed choreas visitaturi cum armis et tympano veluti ad pugnam, quam et saepius aut inveniunt aut suscitant, turmatim eunt redeuntque capitibus ob id multoties cruentan-  
35 tibus. — Tribus illis diebus, quibus apostolico instituto maiores litaniae passim per totum orbem peraguntur, in plurimis Franconiae

locis multae cruces (sic enim dicunt parochianos coetus, quibus  
tum sanctae crucis vexillum praeferri solet) conveniunt. In  
sacrisque aedibus non simul et unam melodiam, sed singulae  
singulam per choros separatim canunt et puellae et adolescentes  
mundiori quique habitu amicti frondentibus sertis caput coronati 5  
omnes et scipionibus salignis instructi. Stant sacrarum aedium  
sacerdotes diligenter singularum cantus attendentes et quamcumque  
suaviter cantare cognoscunt, illi ex veteri more aliquot vini con-  
chos dari adiudicant. — Pentecostes tempore ubique fere hoc  
agitur: conveniunt, quicumque equos habent aut mutuare possunt, 10  
et cum dominico corpore, quod sacerdotum unus etiam equo  
insidens collo in bursa suspensum defert, totius agri sui limites  
obequitant cantantes supplicantesque, ut segetes deus ab omni  
caeli iniuria et calamitate conservare velit. — In die sancti Urbani  
vinitores in foro aut alio publico loco mensam locant, mappis, 15  
fronde et plurimis redolentibus herbis instruunt desuper statun-  
culam beati pontificis statuantes, quam, si dies serena est, largo  
vino coronant et omni honore prosequuntur; si vero pluvialis,  
id non solum non faciunt, sed luto proiciunt et aqua immodica  
perfundunt; persuasum enim habent illius diei tempestate 20  
auspicioque vinum tunc florescens et augmentari et diminui. —  
In nocte sancti Ioannis baptistae in omnibus fere per latam  
Germaniam vicis et oppidis publici ignes parantur, ad quem  
utriusque sexus iuvenes et senes convenientes choreas cum cantu  
agunt; multas etiam superstitiones observant. Artemisia et 25  
verbera coronati in manibus flores, qui a similitudine calcaris mili-  
tariae calcaria dicuntur, gestantes ignem nisi per eos non aspiciunt;  
oculos id per totum annum a languoribus conservare credunt.  
Qui abire intendit, ille herbas, quibus, ut dixi, praecinctus fuit,  
igni inicit dicens: abeat et comburatur cum his omne infortunium 30  
meum! — Ante arcem in monte, qui urbi Herbipoli supereminet,  
ab episcopi aulicis etiam ignis fit, cui orbiculi quidam lignei per-  
forati imponuntur, qui cum inflammantur, flexilibus virgis  
praefixi arte et vi in aerem supra Moganum amnem excutiuntur.  
Draconem igneum volare putant, qui prius non viderunt. —  
Fiunt eodem tempore figulino opere ollae quaedam ita multis

foraminibus discissae perforataeque, ut partes vix sibi cohaereant; puellae illas emunt et purpurearum rosarum foliis obductas imposito lumine ex domorum culminibus pro lucerna suspendunt. — Tunc temporis adolescentes pagis totas pinos inferunt; quarum  
5 inferioribus ramis absectis superiores speculis, vitris, sertis bracteolisque splendentibus exornant, arborem terrae infixam per totam aestatem ita stare sinunt. — Autumni tempore, cum uvae iam maturae sunt, non antea vindemiare cuiquam concessum, quam domini, quibus decima debetur, hoc permiserint; non enim  
10 ille hodie, cras alter legit, sed quotquot in uno colle vina habent, uno vel duobus diebus omnes omnia absceperunt; indicitur hodie in illo, cras in altero legendum; decimae in vallibus sub vinetis excipiuntur. Qui tardius, quam iussum est, vindemiare volunt, non solum cum licentia facere debent, sed etiam suis expensis  
15 decimam in domini torcular inferre. Herbipoli cuique vindemianti ob exhibitam credo in decimando infidelitatem iuvenis addicitur, qui diligenter notet et iubeat etiam, ut quodque decimum vas lectum absque fraude domino suo tribuatur. Finita vindemia hi pueri omnes in campo convenientes singuli se de stramine,  
20 quod ad hoc advectum est, una aut duabus facibus armant, quibus sub noctem incensis cantantes civitatem ingrediuntur. Hoc more autumnum se expurgare atque exurere dicunt. — Martini et Nicolai sanctorum praesulum utrorumque dies miro gaudio, mira festivitate Franconiae gens colit, diversimode tamen,  
25 in sacris aedibus et altari huius, illius in mensa et popinis. Nemo per totam regionem tanta paupertate premitur, nemo tanta tenacitate tenetur, qui in festo sancti Martini non altili aliquo, vel saltem suillo vitulinoque viscere assato vescatur, qui vino non remissius indulgeat. Quilibet enim tunc nova vina sua, a quibus  
30 se adhuc usque abstinuit, degustat et dat degustare omnia. Erogantur in Herbipoli et plerisque locis hac etiam die pauperibus ex pietate vina. Spectacula publica eduntur, duo aut plures frendentes apri circo includuntur, ut mutuo se exsertis dentibus visceratim dissecent; quorum carnes, ubi vulnerati conciderint,  
35 partim plebi partim potestatibus dividuntur. In die vero sancti Nicolai adolescentes, qui disciplinarum gratia scholas frequentant,

inter se tres eligunt, unum, qui episcopum, duos, qui diaconos  
agant. Is ipsa die in sacram aedem solemniter a scholastico coetu  
introducitur divinis officiis infulatus praesidet; quibus finitis  
cum electis domesticatim cantando nummos colligit; eleemosynam  
esse negant, sed episcopi subsidium. Vigiliam diei pueri a paren- 5  
tibus ieiunare eo modo invitantur, quod persuasum habeant, ea  
munuscula, quae noctu ipsis in calceos sub mensam ad hoc locatos  
imponuntur, se a largissimo praesule Nicolao percipere; unde  
tanto desiderio plerique ieiunant, ut, quia eorum sanitati timeatur,  
ad cibum compellendi sint. Et tales hodie Franconum famosi 10  
mores sunt, tales annui ritus.

---



**De Suevia Suevorumque moribus et priscis  
et recentibus.**

Suevia Germaniae provincia aetate nostra istis finibus describitur: ab oriente Baioariis, ab occasu Alsatensibus et Rheno iungitur, Alpium iuga a meridie habet, a septentrione Franconiam. A Suevis populis dicta, qui ex ea Scythiae parte,  
 5 quae hodie Livonia et Prussia est, digressi ibi consederunt auctore Antonio Sabellico; et confirmare istud Lucanus videtur inquiens:  
 ‚Fundit ab extremo flavos aquilone Suevos.‘

Alemannia prius nominata fuit a lacu Lemanno, qui et Lausanensis vocatur. Suprema portio totius Germaniae Suevia  
 10 est; duobus clarissimis fluminibus Rheno et Danubio irrigatur; quorum alter modico fluxu in occidentem oceano miscetur, hic e diverso in orientem per innumeras gentes volutatus Pontum influit. Terra partim plana, partim montosa. Ager fertilis, cuius nulla pars inculta iacet, praeter quam aut lacus aut montes  
 15 vel silvae occupant. Nemora in ea multa et ob id genti venatio frequens, aucupium peculiare, frumentorum abundantia, pecorum magna vis. Convalles plurimae perennibus rivis clarissimae undique amnes procurunt, qui se universi in Rhenum et Danubium exonerant. Tota insuper provincia salubritate gaudens  
 20 celebratissimis urbibus, vicis et castellis referta. Arces excelsae natura et arte munitae et, quod ad Christianam religionem pertinet, pulcherrimis atque ditissimis templis, collegiis, monasteriis variorum ordinum sexus utriusque, basilicis parochialibusque ecclesiis est exornata. Circa montes ferrum, argentum et metalla  
 25 procreat. Gens populosa, fortis, audax et bellicosa, procera

corpore, flavo crine, venusta facie et decora, ingenio singulari  
praedita: praestantissima Germanorum a Plutarcho dicta. Cuius  
gloria eo usque crevisse memoratur, quod virtute et armis imperium  
orbis meruerit, illudque ultra unius saeculi spatium magni-  
ficentissime tenuit. Sed viduata postea suis principibus nescio <sup>5</sup>  
qua fortunae iniquitate dicam aut ignavia mox substitit, quasi  
non exstet, quo famam suam extendere aut, quod minus est,  
tueri possit. Caius Iulius Caesar in quarto commentariorum  
de hac ita scribit: Suevorum gens longe maxima ac bellicosissima  
Germanorum omnium; centum pagos habere dicuntur, ex quibus <sup>10</sup>  
quotannis singula milia armatorum bellandi causa e finibus  
educuntur, reliqui, qui domi remanserint, se atque illos alunt.  
Hi rursus invicem anno post in armis sunt, illi domi remanent;  
sic nec agricultura neque ratio atque usus belli intermittitur.  
Sed privati ac separati agri apud eos nihil est neque longius <sup>15</sup>  
anno remanere uno in loco incolendi causa licet. Non frumento  
solum, sed vulgo lacte et pecore vivunt multumque sunt in  
venatione, quae res et cibi genere et cotidiana exercitatione  
et libertate vitae (quod a pueris nullo officio aut disciplina con-  
suefacti nihil omnino contra voluntatem faciant) et vires alit <sup>20</sup>  
et immani corpore homines efficit; atque in eam se consuetudinem  
adduxerunt, ut sub caelo frigidissimo habitantes neque vestem  
ullam praeter pelles habeant, quarum propter exiguitatem maior  
corporis pars nuda et aperta est. Lavantur in fluminibus. Mer-  
catoribus est ad eos aditus magis eo, quod quae bello ceperunt <sup>25</sup>  
vendant, quam ut aliquam rem ad se deferri desiderent; quin  
etiam iumentis, quibus Galli maxime delectantur quaeque  
impenso parant pretio, Germani non utuntur, sed quae apud  
eos sunt et natura prava et deformia; haec cotidiana exercitatione  
summi ut sint laboris efficiunt. Equestribus proeliis saepe de <sup>30</sup>  
equis desiliunt ac pedites proeliantur et eos eodem vestigio  
remanere edoctos, ubi usus est, celeriter repetunt. Neque moribus  
suis quicquam inhonestius aut inertius putant quam ephippiis uti.  
Itaque ad quemvis ephippiatorum equitum numerum quamvis  
pauci adire audent. Vinum ad se importari omnino non sinunt, <sup>35</sup>  
quod ea re ad laborem ferendum remollescere homines atque

effeminari arbitrentur. Publicae esse laudis putant quam latissime a suis finibus vacare agros; hac re significari magnum civitatum numerum suam vim sustinere non posse, propter quod una parte a Suevis circiter mille sescentorum passuum agri vacare  
5 dicuntur. Cornelius Tacitus, ubi de Germaniae situ et gentis moribus scribit, de Suevis ita refert: Maiorem, inquit, Germani partem propriis adhuc nationibus nominibusque discreti sunt, quamquam in communi Suevi vocentur. Insigne, inquit, gentis est obliquare crinem nodoque substringere; sic Suevia a ceteris  
10 Germanis, sic Suevorum ingenui a servis separantur. Apud eos usque ad canitiem horrentem capillum retro sequuntur ac saepe in ipso vertice religant; principes ornatiorem habent. Statuto tempore in silvam auguriis patrum et prisca formidine sacram omnes eiusdem sanguinis populi legationibus coeunt  
15 caesoque publice homine celebrant, barbari certe ritus horrendaque primordia. Est et alia luco reverentia. Nemo nisi vinculo ligatus ingreditur, ut minor et numinis potestatem prae se ferens; si forte prolapsus, attolli et insurgere haud licitum, per humum evolvuntur eoque omnis superstitio respicit, tamquam inde  
20 initia gentis, ubi regnator omnium deus, cetera subiecta atque parentia. Pars quoque Suevorum, ut idem Cornelius habet, Isidi sacrificat; peculiaria cetera Germanis et ipsis sunt communia. Verum enimvero non solum apud Suevos, sed et apud omnes fere gentes mutati sunt mores, et quod dolendum plurimum  
25 est, fere in peius. Nam hodie potentiores Suevorum fere omnes mercaturae vacant, societatem sive confoederationem unam multi ineunt ac certam pecuniae summam quisque ponit, qua non solum aromata, serica atque alias pretiosas merces, quae ad nos a transmarinis et remotissimis regionibus transvehuntur, emunt, sed vilia etiam, ut coclearia sunt, acus, specilla,  
30 pupae et huiusmodi; praemunt etiam vina et frumenta, quod ego tamen non laudo, cum id non minus opificibus et agricolis grave damnosumque sit — qui sua ante tempus gryphonibus istis ne potius dicam vel mercatoribus vendunt, quae postmodum  
35 necessitate cogente duplo aere redimere ab ipsis debent — quam toti provinciae; quae quibuscumque indiget, non apud vicinas

gentes, a quibus minori pretio habere possit, accipere debet  
— sic enim a corruptis munere principibus imperatum — sed  
ab illis in Stutgardia aut alias, ubi emporia habent. Ipsi tamen  
per se non negotiantur, sed communibus servitiis, qui contrac-  
tam rursus pecuniam una cum lucro congregantes certo tempore 5  
rationem ponunt singulisque dominorum lucri partem fideliter  
praebent. Privati Suevorum nulla alia re, nullo artificio magis  
occupantur quam lini operatione, cui adeo incumbunt, adeo  
dediti sunt, ut in quibusdam Sueviae locis nedum mulieres et  
puellae, sed adolescentes et viri hiemis tempore colo admoventur. 10  
Panni genus faciunt, cuius tela linea est, intextum bombycinum,  
pargath illud vocantes; faciunt et totum lineum, quod golsch  
appellant. Compertum habeo apud Ulmenses solum quotannis  
utriusque generis pannos parari centum milia, ex quo quisque  
coniecturare potest, quam incomprehensibilis incredibilisque 15  
summa in tota regione elaboretur. Ad remotissimas nationes  
isti panni transvehuntur et maxime bis in anno ad emporium  
Franconafordense; ubi quam ingens vectigal Suevicæ nationi  
accedit. Praeterea quoniam bonis mala commixta semper sunt  
et nulla ex omni parte erecta, sunt Suevi in Venerem supra 20  
modum proni: femineus sexus virili ad malum facile consentiens;  
immature uterque praevaricatur, sero respiscit. Ego huic vitio  
maxime suffragari existimo, quod quemadmodum in aliis Ger-  
maniae provinciis ecclesiastica censura publici illi fornicarii,  
adulteri, raptores minus insectentur. Proverbium ortum unam 25  
Sueviam latae Germaniae satis meretricum transfundere, quem-  
admodum Franconiam copiam dare raptorum et mendicantium,  
Bohemiam haereticorum, Baioariam furum, Helvetiam carnificum  
et lenonum, Saxoniam potatorum, Frisiam atque Westfaliam  
periuorum, Rhenum gulonum. 30



## VI

**De Bavaria et Carinthia et earum priscis legibus  
moribusque, quibus hodie vivunt.**

Bavaria Germaniae provincia ab Avaribus Hunorum reliquiis, qui Noricis expulsis in ea terra consedere, adiecta B litera appellatur. Baioaria etiam a Bois Cisalpinae Galliae populis hic loci aliquando moratis dicitur, Noricum olim fuit. Hungariam  
 5 ab oriente habet, ab occidente Sueviam, a meridie Italiam, a septentrione Franconiam atque Bohemiam. Danubio insigni fluvio ex Suevia profluente irrigatur, Austriam, Stiriam et Carinthiam in se comprehendit, quod idem fere homines, iisdem  
 10 moribus et lingua utantur, Noricis praeterea finibus quondam contenti erant. Beatus Lucius Britanniae rex primum, deinde sanctus Rupertus, ultimo Bonifatius Moguntinus archiepiscopus Christianam pietatem edocuit. In quattuor episcopatus Bavaria dividitur, Salzburgensem, Pataviensem, Frisingensem, Ratisbonensem. Nulla Germaniae provincia pluribus cultioribus  
 15 urbibus illustratur. Salzburga, quae Iuvavia fuisse creditur, metropolis est. Monachium ducalis sedes hodie, olim Schiren fuit. Haec terra priusquam in provinciam redigeretur, a proprio rege ad Arnolphi imperatoris usque tempora administrata est; eum ut Parthia suum Arsacem et Aegyptus Ptolemaeum ipsa  
 20 Cacannum nominavit; deinde duces habere coepit hodieque tenet. Qui ex una illustri Agilolfingorum familia diu eligebantur omnes.

Gentis mores vivendique instituta ex legibus, quas orthodoxa fide recens suscepta habuere, cognosci possunt. Tales fuere, ut liberae condicionis homo chirographo et sex testibus, quorum  
 25 nomina et manus suas imponat, confirmet, si villas, terram,

mancipia, pecuniam aut quid aliud ecclesiae donaverit, schedam praesente sacerdote altari superponat. Nec ipsi nec posteris illius potestas eius rei sit ulterius, nisi ecclesia permittat. Apud episcopum defendatur, quidquid ecclesiae Dei datum fuerit. Dei iudicium et sanctae ecclesiae offensam incurrat restituereque 5 cogatur aut a rege aut principe, quicumque ecclesiae aut eius rebus iniurius fuerit; uncias auri tres pro multa persolvat. Negans ante altare populo sacerdoteque praesentibus secundum pecuniae summam iuret. Qui servum ancillamve ad fugiendum persuaserit, revocet et alium interea pignoris loco sistat, solidis XV 10 componat. Servo occulte ecclesiae res concremanti manus amputetur ac oculi eruantur, ne tale quid de cetero perpetrare videat; dominus vero eius restituat, quidquid incendio consumptum fuerit. Liber homo ex integro omnia restauret et ob temeritatem solidis LX componat; negans XXIII sacramentalibus nominatis 15 ante altare coram ecclesiae defensore digitis super evangelii librum positus iuret. Reo ad ecclesiam confugiendi securitas esto nec domino fas servum inde abstrahere aut quovis modo laedere; qui contra fecerit, iudice cogente componat ecclesiae XL solidis. Qui in minoribus ordinibus constituto noxius 20 fuerit, dupliciter componat quo parentes componuntur, in maioribus constituto tripliciter. Presbyterum si quis autem occiderit, CCC auro appretiatis solidis, diaconum CC ecclesiae, in qua ministravere, exsolvat et, si pecuniam habuerit nullam, se ipsum, uxorem, liberos servitio eo usque mancipabit, donec 25 statuta pecunia redimat. In episcopum saeviat nemo, etiamsi cui molestus fuerit, sed coram rege, duce aut plebe conveniatur super homicidio, fornicatione consensuque hostili. Si inimicos provinciae introduxerit, si perdere, quos salvare debuerat, voluerit, deponatur aut in exilium relegatur. Qui sanctimoniam 30 ex monasterio abductam contra ecclesiasticam legem sibi matrimonio coniunxerit, restituat. Episcopus ducis auxilio eam velit nolit monasterio rursus intrudat. Ipsum vero aut se emendare compellant aut provincia eiciant. Presbyteris et diaconibus extraneam apud se in domo mulierem habere non liceat, ne consuetudine deceptus polluat indigne Deo offerens, populus ob 35

id plagam sustineat. Sacerdotum ac aliorum clericorum  
 causae ab episcopis solum secundum canones iudicentur. Coloni  
 et servi ecclesiae secundum quod quisque habet tributa deci-  
 masque persolvant, de modiis decem unum, de particiis decem  
 5 unam, de decem fascibus unum, de decem apum vasis unum,  
 pullos quattuor, ova XV tribuant. Angarias quinquaginta adusque  
 leucas carro faciant, ulterius non minetur, parafredos donent  
 vel vadant ipsi. Ligna, lapides, calcem ad sacrarum aedium  
 structuram advehant; ultra vires tamen degravetur nemo.

10 Qui regionis duci insidias struet aut hostes provinciae in-  
 vitaverit aut civitatem aliquam prodiderit, tribus testibus con-  
 victus in ducis potestate sit, bona eius confiscentur. Verum  
 per invidiam ne quisquam pereat, cum uno de se testante duello  
 confligens si vicerit, absolutus abscedat. Si ducem aliquis suum  
 15 interfecerit, interficiatur et ipse ꝛc res eius confiscentur in  
 publico in sempiternum. Seditionem adversus ducem movens  
 duci sescentis, ceteri factiosi CC solidis componant. In hosticum  
 cum educitur exercitus, propter scorta aut casas non rixetur  
 nec etiam propter pabula vel ligna; tollat quisque quantis  
 20 indigeat, tollentem nemo prohibeat; secus faciens vel disciplinae  
 hostili subiaceat vel coram comite suo verbera quinquaginta  
 sumat. Comiti in comitatu suo, ne hostibus absque ducis  
 iussione damna inferantur, cura sit; ipse persolvat, si sua  
 negligentia peccatum fuerit. Liber si damnum intulerit, XL  
 25 solidis multetur aequaliaque omnia restituat. Servus capite  
 plectatur, dominus illius, ne talia perpetraret quia non prohibuit,  
 pro ipso restituat. Aliquid in exercitu surripiens criminis  
 convictus servus manibus mutiletur, nihilo secius dominus eius  
 restituere compellatur. Liber ad rei restitutionem solidis XL  
 30 componat. Si quisquam aut a rege aut duce iussus aliquem  
 interfecerit, defendat eum et liberos eius rex sive dux cui  
 oboedivit. Et si is morietur, alius, qui succedet, tutelam ipsius  
 assumat. Si dux contumax et rebellis decreta regis contem-  
 pserit, ducatu privetur seque aeternae salutis spe omni frustratum  
 35 sciat. Si ducis stultus et arrogans filius patrem adhuc iudicio  
 praesidere, exercitum ductare, equam ascendere, arma gestare

potentem, qui necdum surdus neque caecus est, qui regis mandatum strenue exsequi valet, malignorum consilio principatu deturbare nititur, exhereditetur aut si libet in exilium perpetuum ablegetur, quia contra legem in patrem peccaverit. Qui temeritate aut ebrietate in ducis aula scandalum suscitaverit, quidquid mali sequetur, lege componat, solidis XL plectatur, servus manum perdat. In ducis aula qui temere aliquid iacere conspexerit, surripiens ubi nocte una celarit, furti alligetur, in publico solidis XV componat, quod domus ducis domus publica censeatur. Imperium ducis detrectans XV solidis multetur et, quidquid facere iussus fuerat, adhuc perficiat, ut placita omni quintodecimo die in comitatibus regionis omnibus peragantur. Liberi omnes conveniant; qui neglexerit, solidis XV multetur.

Iudex ut iuste iudicet, librum penes se legis habeat, ex eo causa omnis componatur. Neque personam neque munera respectet iudex, sed de compositione, dum recte iudicarit, partem nonam accipiat. Sin perperam, duplo, quidquid lata sententia abstulerit, exsolvat; insuper solidis XL multetur. Ducis caedes parentibus aut regi solidis DCCCCLX componatur. Parentes ducis sescentis, observato, ut ducis compositio parentum suorum compositionem triplo excedat. Agilolfingi, de quorum progenie dux perpetuo eligitur, compositionem quadruplam habeant. Huosi, Trozzi, Sagani, Hahilingi, Aennoni, primi post Agilolfingos, duplam. Liberum quisquis interfecerit, parentibus aut duci bis LXXX solidos exsolvat. Si oculum, manum vel pedem amputaverit, XL; si claudum fecerit, XII; si mancum, XX. Simplex vulnus tribus solidis, dentem molarem XII, alios omnes sex componat. Peregrinos homines inquietare aut laedere summe prohibemus; contra faciens dupliciter componat et fisco CLX solidos exsolvat. Si occiderit, auro appetiatis C multetur. Servus liberum aut molestans aut venundans praesentatus iudici aut manum aut oculum amittat absque insigni nota nequaquam dimittatur. Liberti dimidio componantur mitius quam liberi. Nuptias intestatas prohibemus, unde socrum, nurum, privignam, novercam, fratris aut sororis filiam, fratris uxorem, uxoris sororem viro ducere liceat nulli,



fratrum aut sororum filii matrimonio nequaquam sese coniungant; facultates eorum a iudice confiscentur, qui contra fecerint. Qui dominicam diem servili opere profanaverit nec semel et iterum monitus cessat, L verberibus dorsum illius frangatur; si nec adhuc  
5 cessaverit, tertia ipsi bonorum pars auferatur; tertio si attentaverit, libertatem perdat: servus sit, qui die sancto noluit esse liber. Servus vapulet et, si non emendaverit, dexteram perdat; peregrinus monitus nisi cessaverit, XII solidis multetur. Qui liberum praeter voluntatem servitute devinxerit aut illius hereditatem bonave invaserit, XL solidis componat restituatque quae  
10 occupaverit omnia. Si quis cum alterius coniuge libera concubuerit, marito CXL solidis componat et, si deprehensus interficeretur, absque vindicta suo in scelere iaceat. Cum libera consentiente fornicatus si in coniugem ducere noluerit, XII  
15 componat solidis. Dominus servum, qui liberae vim fecit, parentibus illius ad poenam dedat; interficere ius esto, si libet. Si quis virginem liberam praeter eius ac parentum voluntatem rapuerit, solidis XL, libertam VIII, ancillam IIII componat. Liber liberam uxorem absque culpa dimittens parentibus solidis  
20 XL componat, mulieri dotem et quidquid asportaverit secundum familiae, ex qua nata est, stemma legitime persolvat. Si liberam liber post desponsationem repudiaverit aliamque superduxerit, XXIII solidis puellae parentibus componat. Sacramentalibus XII iuret eam neque ob crimen aliquod neque ob parentum  
25 invidiam dimittere, verum ob solum amorem, quo alteri teneatur. Qui alterius sponsam sibi rapuerit, restituat eam et bis LXXX solidis marito componat. Mulier, quae alteri potionem, ut aborsum faciat, commiscet, si ancilla est, CC verbera accipiat, ingenua libertate viduata servitio deputetur. Si praegnans  
30 mulier icta aborsum fecerit, ipsa si morietur, qui icerit tamquam homicida teneatur; si foetus tantum nondum vivens, XX solidis, vivens L weregeldum persolvat solidosque tres et tremissem. Si in ducis curia, in aedibus sacris, in fabrica aut molendino, quae domus publicae sunt, liber homo quid furatus  
35 fuerit, nonoplum componat, secundum rei valorem iuret sive campionibus depugnet. Fur nocturno in furto deprehensus

si occidatur, non vindicetur. Qui alterius servum ad furtum vel aliud nefas in domini discrimen persuaserit, fraude detecta tamquam fur damnetur, nonoplum exsolvat. Servus quod tulit, restituat et insuper flagellorum ictus CC extensus publice accipiat, dominus incommodi nihil patiatur. Fur quascumque res subtraxerit, iudici praesentatus secundum legem vindictae subiaceat. Verum morti non prius damnetur, quam nonnulla illi, qui damnum pertulit, compositio de furis facultatibus fiat. Qui aliquid in provincia emerit, diligenter prius interroget, furtivum sit necne. Furtivum si emerit, restituere cogatur atque in fiscum pro fredo solidos XII persolvat; qua lege in eum etiam animadvertitur, qui furtivum commendatum susceperit. Compositionem a fure nisi coram iudice suscipiat nemo. Latrocinii culpae subiaceat, qui iudicem suum rem celat.

Quoties de agrorum finibus contenditur, constituta olim signa ab inspectoribus quaerantur nec adversus ea longae possessionis tempus patrocinetur; venditor ostendat, si nulla apparuerint; et si contentio tanta sit, ut sedari non possit, campionibus depugnetur. Nemo novum terminum aut signum sine alterius partis consensu, sine inspectore constituat. Liber si contra id fecerit, lege solidis VI multetur; servus CC flagellorum ictus extensus publice sustineat. Si liber liberi parietem aut saepem dissipaverit vel irruperit, tribus solidis componat et damnum restituat. Columnas, trabes, spangas tribus solidis ad restitutionem componat. Asseres, lateres et aliud quidquid aedificio continetur, singulis solidis. Pignurare absque ducis permissu liceat neminem; contrarium faciens pignus e vestigio illaesum reddat, duci XL solidos pro fredo exsolvat, laesum ad arbitrium iudicis componat. Qui messem iam maturam alterius demessuerit, solidis VI componat. Negans sacramentalibus secundum legem suam sex iuret. Qui segetes alterius incantando vitiarit, convictus XII solidis componat, familiam illius anno toto alimentis provideat, aequale reddat, si quid perdiderit. Negans sacramentalibus XII iuret aut campione se defendet. Si quis alieno servo vel ancillae ad fugam aut auxilio aut consilio aderit. XII ipsum, eam sex solidis componat reducatque; si

negare velit, XII sacramentalibus iuret aut campionum se pugna expurget. Nemo alienum animal etiam in damno reprehensum quovis modo laedat occidatve, sed penes se eo usque retineat, donec domino aut vicinis damnum acceptum  
5 indicabit; qui locum laesum cum aequali illaeso signent, in messis collectione quod laesus non laeso minus protulerit, is, cuius animal damnum intulit, rependat. Qui vero contra legem hanc animal occiderit, cadaver sibi habeat, domino aliud aequale reddat. Si oculum excusserit, quanti animal aestimabitur, tertia  
10 pretii parte componat; si caudam vel aurem, uno solido; si cornu, tremisse. Duplentur, si hoc in domini contemptum odiumve perpetrarit. Qui pacta mercede equum aut bovem custodiendum susceperit, sua culpa perichitatum ab integro persolvat et mercedem nullam requirat; verum iuramento si se absolverit, corium  
15 reddat.

Qui aurum, argentum, vestes aut alias quascumque res vendendas sive custodiendas in aedes suas receperit, si fortuito incendio una cum rebus suis consumptae fuerint, quod sibi non profuerint iuramento dato, nihil persolvere cogatur. Qui auxilioris specie ex incendio aliquid rapuerit, proditus quadruplum  
20 exsolvat secundum legisque statuta componat. Rem in contentione locatam nec ulli donare nec vendere liceat. Mulier in viduitate post mariti obitum permanens aequalem ut filiorum unus usufructuariam portionem possideat. Si vero ad alias nuptias transierit, eo die cum dote et rebus suis domo egrediatur; filii inter  
25 se portionem, quam consecuta fuerat, ut reliquam dividant. Patris bona filii de diversis etiam coniugiis suscepti aequaliter hereditabunt, matris unusquisque tantum suae. Ancillae filius cum liberae filio heres non esto. Si quis sine liberis morietur,  
30 nisi testamento caveatur, uxor, quoad viduitatem observaverit, bonorum medietatem omnium retineat, propinqui reliquam accipiant. Si vero et ipsa morietur aut alteri nupserit, cum bonis suis et quae lege debentur abeat, propinquis et haec pars cedat. Viro aut muliere defunctis si usque ad septimum gradum propinqui nulli reperiantur, nisi testamento vel donatione caveatur,  
85 res eorum omnes fiscus indipiscatur. Qui rem aliquam vendiderit,

pretio accepto emptionem aut charta aut testibus ratam faciat, duo, tres vel plures testes adhibeantur. Venditio nisi voluntaria et libera firma non sit. Qui rem alienam domino ignorante vendiderit, ipsam lege restituat et aliam aequalem addat. Si reperiri nusquam poterit, duas similes pro ea reddat. Qui arram 5 in quacumque re dederit, nisi placitum mutatum fuerit, stare contractui debet aut hanc ipsam perdat et pretium quod debuit exsolvat. Si quis rem vitiatam vendiderit, infra dies tres recipiat vel sacramentali uno vitium ignorasse iuret et stet emptio. Servus suo, non domini peculio redemptus fraude cognita do- 10 mino restituatur, quia non pretium, sed res servi ignorans acceperit. Commutatio tantum roboris habeat, quantum emptio. Qui agrum aut pratum alterius suum dicens invaserit, sex solidis propter temeritatem componat et exeat.

Testem aure tractum, nisi super mortuum testari velit, 15 repelli nec debet nec potest. In mortui causa hic duello probetur; si vicerit, ulterius non impugnetur, sed credatur ei. Ex pluribus testibus unus tantum sorte eductus iuret ita dicens: ‚Testis sortitus sum, testem me exhibeo, sic me Deus iuvet et illum, cuius manum teneo, testis aure 20 tractus sum veritatem praesenti in causa dicere.‘ Datis deinde ad sacrandum armis, solus altera manu verbum ipsum cum uno sacramentali iuret. Mendaciter iurasse convictus causam restituat, XII solidis componat aut innocentiam suam campione defendat. Si campionum unus ab altero inter decertandum interficiatur, 25 si ingenuus, ab eo, qui iniuste eum invitavit, XII solidis nec amplius componatur. Qui liberum mortuum monumento refossum spoliaverit, parentibus illius solidis XL componat et ipsum etiam furtivum, quod tulit. Si quis occulte liberum occiderit, cadaver in profluentem aut alio abiectum condigna sepultura 30 et exsequiis privet, XL primum solidis, deinde weregeldo componat. Qui vero liberi hominis cadaver ad litus devolutum aquis iterum immiserit, solidis XII componat. Servus eo modo occisus atque absconsus nonoplo, id est CLXXX solidis com- 35 ponatur. Qui vestitu a se interfectum spoliaverit, dupliciter componat. Cadaver hominis mutilans singula membra singulis



XII solidis componat. Si repertum, ne a feris dilaceretur, pietate motus humaverit, a parentibus aut domino illius solidum accipiat. Qui alterius navem loco submoverit, illaesam aut aequalem reddat. Extra aquam vero protractam si celaverit, interrogatus  
5 negaverit, ut furtivum componat. Qui canem venaticum abstulerit, ipsum aut similem reddat et sex solidis componat, pastoralem tribus. Illis legibus Bavari ante aliquot saecula paruere nonnullisque adhuc.

Si quidem qui Christianae pietatis observantissimi  
10 sunt, ad externa augustiora templa sturnatim peregrinantur, Aquisgranum praecipue. Duo etiam provinciae loca miraculis sanctorum et peregrinorum frequentia clara, Virgo Maria Ottingae et beatus Wolfgangus. Regio vitibus praeterquam  
15 ubi australior est, non seritur. Nemorosa multum est et montuosa. Sues glandibus silvestribusve pomis credo tanta copia nutrit, ut veluti Hungaria boves, ita haec sues ceteris Europae nationibus large suppeditet. Est gens adeo suillis et ipsa moribus famosa, ut ceteris Germanis comparata Babari  
(Barbari dico) nomen ipsi optime convenire nemo non videat.  
20 Duobus vitiis plus aliis insignis, inhospitalitate videlicet et furto. Vestitu ut plurimum blavo colore amicitur; ocreis libentius quam caligis calciatur.

Baioariae sive Bavariae ad Austriam contigua est partim Carinthia partim Stiria. Est Carinthia montana regio Carnis  
25 ad ortum, Stiriae ad occasum ac meridiem iuncta Alpes Italas et Forum Iulii contingit. Multae in ea valles collesque feraces tritici, multi lacus, multi amnes, quorum praecipuus Dravus, qui per Stiriam ac Pannoniam in Danubium fertur haud inferior Savo. Imperium Austriae principes obtinent et archiducem  
30 appellant, cui ea regio paret. Quoties novus princeps rei publicae gubernationem init, solemnitatem nusquam alibi auditam observant. Non longe ab oppido S. Viti in valle spatiosa dirutae civitatis vestigia visuntur, nomen loci vetustas perdidit; nec procul hinc in patentibus pratis erectus lapis marmoreus est,  
35 quem, cum dux creandus est, rusticus quidam, cui per stirpis suae successionem hereditario id officium debetur, ascendit

ad dexteram bovem habens fetam nigri coloris; ad laevam equa illi sistitur strigosa macieque insigni; frequens circa populus agrestiumque turba ingens. Dux inde futurus ex adverso movet purpuratorum multitudine saeptus; praecedunt principatus signa omnesque in toto comitatu egregie culti praeter futurum ducem. 5  
Is agresti habitu, pileo tectus, calceos et pastorem baculum gerens pastorem agit magis quam principem. Hunc venientem intuitus, qui lapidem obtinet, Illyrica voce (sunt enim Carinthii Illyrii, hoc est Sclavoni): ‚Quis est hic‘, exclamat, ‚qui tam superbe incedit?‘ Respondet circumfusa multitudo principem regionis 10 adventare. Tum ille: ‚Iustusne iudex, salutem patriae quaerens, liberae conditionis, dignusne honore est? Christianae pietatis cultor ac defensor?‘ Clamatur: ‚Est quidem et erit‘. Rursus idem: ‚Quaero, quo me iure hac a sede dimovebit?‘ Respondet ducalis aulae magister: ‚Sexaginta denariis hic abs te locus emitur; iumenta 15 haec tua erunt‘ ad bovem et equam manum intendens. ‚Vestimenta quae dux exuet, habebis erisque tu cum domo tua tota liber a tributo.‘ Quibus dictis rusticus malam principis percutit alapa leniter incussa iubetque aequum iudicem esse praemioque abducto loco cedit. Tum lapidem dux occupat, nudum gladium 20 vibrans ad omnem se partem vertit, populum affatur polliceturque se aequum iudicem futurum; ferunt et aquam agresti pileo oblatam potare in futurae sobrietatis argumentum. Deinde ad Solemnensem ecclesiam, quae in proximo tumulo sanctae Mariae vocabulum et nomen habet, perductus sacrificiis interest. 25 Quibus peractis humili veste, qua adhuc indutus est, deposita paludamentum induit splendideque cum proceribus suis convivatur. Postremo in pratum revertitur; pro tribunali sedens ius dicit et fundos confert. Hic honos principis investiendi rusticis datus est, quod illi primum in ea terra Christi fidem acceperere 30 nobilibus et principibus in errore adusque Caroli Magni tempora permanentibus, quando et ipsi baptismati admoti sunt. Fuit Carinthiae dux venator imperii, unde ad eum lites et contentiones venatorum omnium deferebantur; vocatus in iudicio coram imperatore quaerulantibus non nisi Sclavonica lingua respondebat. 35  
— Est et alia huius provinciae consuetudo in oppido Klagen-

furtino furibus durissima. Si quis in furti suspicionem venerit, e vestigio suspenditur; postridie de suspicione iudicant; si sontem inveniunt, pendere sinunt, donec per partes ad terram defluat cadaver; insons repertus sepelitur exsequiaeque ex publico persolvuntur. Penulis nativi velleris haud fucati Carinthii teguntur vulgoque capita pileo obmuniunt; sermone loquuntur Sclavonico. — Stirii vero agrestes vulgo populi sunt et strumosi adeo quidem ingenti struma, ut ipsis loquelam impediatur et mulier lactans illam post tergum perinde atque saccum reiciat (si fama vera est), ne infanti impedimento sit. Strumae causam aquae aerique, quibus vescuntur incolae, tribuunt. Stiriani ipsi cultu et sermone Germani sunt praeter Dravi accolae, qui Illyrica utuntur lingua. Sal ibi coquitur, quod ad finitimas gentes defertur. Regio ferri et argenti ferax, sed principum incuria parcius foditur. Valeria olim dicta fuit; montana plurimum praeterquam ad ortum, qua Pannoniae finitima est: ea parte vastam effundit planitiem.